Cochleæ marinæ cælatæ. **Ausgeſtochene Meer-Schnäcken.**

Sunt Cochleæ marinæ, quæ propter externam ſuam ſtructuram artificio quaſi humano externè celatæ videntur.

Cochlea marina cælata maior ſtriata ſtriis craſſioribus, et valdè rugoſis ſecundum ſpiras ſitis ore magno ſubrotundo, labio eius ſiniſtro verſus baſin præcipuè, admodum labiato, duabus primis turbinis ſpiris valdè ventricoſis, et magnis, ultimis tribus autem minoribus; omnium verò ſummitatem occupant papillulæ mediocres tranſverſæ, et acuminatæ, propter quas potiſſimum, ſicut et ipſas ſtrias, quia manu humana cælatæ videntur, cælata vocatur, cortice abraſo, vel ſpoliata elegantem unionum colorem præſefert. Cochlea cælata. Rond. p. 98. Bon. 11. et 12.

Eadem sed maxima ore ovato in baſi, ac labio ſiniſtro labioſiſſimo exiſtente.

Cochlea marina cælata ſpiris non ita ventricoſis duabus ſpiris maioribus in ſummitate fimbriis tuberoſis exornatis. Cochlea perlata. Bon. 167.

Cochlea marina cælata imbricata aut pinnulata dicenda, quia ex meris ſquamis, et imbricibus, aut pinnulis conſtare videtur, cuius quælibet ſpira mucronis ab alia eſt fimbriaquoq; imbricata, vel ſquamata diſtincta et ſummitas baſeos pinnulis cincta aut exornata.

Cochlea marina cælata mucrone ſpiris quaſi gradatim acuminatis, et tantillum ventricoſis efformato quælibet ſpirâ ab alia fimbriatâ diſtincta. Nerites, quem meritò appellares Turbinem. Bon. 199.